DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PETRUS CRYAN,

HIBERNUS.

" Lethalis hyems paulatim in pectora venit,
" Vitales vias, et respiramina claudit." OVID.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

VIRO OPTIMO

L. BURNE, M. D.

&c. &c.

DE *BOYLE*,

IN COMITATU ROSCOMMON,

IBIQUE

ARTEM HIPPOCRATICAM FELICITER

EXERCENTI,

PRÆCEPTORI SUO CARISSIMO,

CUJUS SUB AUSPICIIS ARTIS SALUTIFERÆ

RUDIMENTA DIDICIT;

HANC DISSERTATIONEM,

OB MAXIMA BENEFICIA ACCEPTA, CONSILIA DATA,

ATQUE

PROPTER AMICITIAM ERGA SE NUNQUAM

OBLIVISCENDAM,

ANIMO GRATISSIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

P. Cryan Auctore.

Quando leges hujus Academiæ inclytæ exigunt, non sine argumento optimo, unumquemque, qui summos medicinæ honores ambit, aliquid specimen suæ in medicina eruditionis dare, his institutis libenter accedo, et cogitatione repetens omnes eos morbos qui homines omnibus ævis absumunt, tandem hac et multis aliis causis pauca de Pneumonia statui tractare; nec spe aliquid novi inveniendi me hortatus sum, in

hoc morbo, de quo a celeberrimis medicis disputatum est, sed quia ægritudo est tam communis et semper partes vitales invadens, ut subsidium potentissimum vehementer postulet.

Nobis est optima dcfinitio hujus morbi celeberrimi CULLENI, qui eam divisit in Peripneumoniam et Pleuritidem, tamen spero utilissime iis jungere Bronchitidem. Ille dixit, "Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis; tussis."

Priusquam incipio hujus morbi historiam, viscera thoracica paulisper attingam.

Invenimus pulmones pleura inductos, et membranam mucosam in bronchiis habentes; in medio posita est eorum substantia; pleura dextro et sinistro lateri mediastino jungitur, etiamque in portionem Pulmoneam et Costalem divisa est. Hæc distinctio utilis erit, ad symptomatum disparum causam explicandam, variis in speciebus hujus morbi.

Inflammationis terminatio membranis serosis quando non resoluta fuit, ut plurimum est in effusione et adhæsione; præterea, dolor est multo major, ea membranæ mucosæ simillime affectæ.

Hæc indicia præfatus, incipiam de historia morbi disputare.

HISTORIA MORBI.

Quando obvenit inflammatio ulli parti thoracis, vel ejus viscerum, est dolor, tussis, respiratio difficilis; tamen primo non est ulla causa naturalis quæ obstet respirationi, nisi dolor partium actione mechanica excitatus. Pulsus in pleuritide durus, fortis, et frequens est, sed nonnunquam in peripneumonia mollis; cutis sicca et calida, æger in latus affectum difficillime jacet; sed non raro in peripneumonia non potest respirare, nisi trunco corporis erecto: hic etiam faciem colore purpureo tumidam habemus; tussim primo siccam, postea humidam, et frequenter sanguinea expectoratione comitatam: quando bronchitis adest, membrana mucosa bronchiorum tantum affecta est; eadem signa sed mitiora obveniunt ut in peripneumonia: ut jampridum commemoravi, in pleuritide durior est pulsus, et dolor præcipue pungens; crebro, si ægrum longum spiritum trahere jubemus,

non valet, nam hoc facto dolor instanter augetur: Singultus haud raro in hoc statu quoque advenit, quo infelix æger, modo multum pertimescendo, semper vexatur, interdum tussis molestissima, quæ sputa tenacia, haud infrequenter sanguine mista, gignit, pulmones subinde distendit, et symptomata supra descripta auget: Neque parvo modo functiones viscerum, præter pulmones, perturbantur, nempe, cerebri, quando delirium in hoc malo signum lethiferum, occurrit; vel ventriculi, et intestinorum, ubi vomitus obvenit, vel alvus astringitur, urina parca est, et sitis inexplebilis urget.

DE MORBI SEDE.

Dictum est a quibusdam, præsertim Pringlio, Inflammationem semper adesse, cum in parenchymata pulmonum tum pleura ipsa; sed restat, judices, ut hoc dubitemus; namque experientia non sic semper probatum est. Cullenus, in Primis Lineis, pleuram primam affici

affirmat, his verbis: "To me it seems probable, that the disease is always seated, or at least begins in some part of the pleura, taking that membrane in its utmost extent, as covering not only the internal cavity of the thorax, but also as forming the mediastinum, and as extended over the pericardium and whole surface of the lungs." Sic opinor in pleuritide creberrime tantum affici pleuram, in peripneumonia creberrime tantum parenchyma pulmonum, et in bronchitide solum membranam mucosam; sed non raro hæ tres species junctim apparent, et eas dijudicando nequaquam felices sumus.

FINES MORBI.

Hic morbus, ut aliæ inflammationes, varios in modos desinere potest. Paucis diebus sponte sua abit, aut idoneis remediis feliciter cedit. Sin autem diutius perstiterit, neglectis propriis remediis, nonnunquam suppuratio enascitur, qua erupta, empyema quoque inducitur. Necnon effusio frequenter, et gangræna, sed raro, obveniunt, quæ

haud minus lethales supervenire dicuntur. Resolutio, quæ maxime optanda est, plerumque evenit primis diebus, sed nonnunquam, ubi durat morbus ad decimum vel duodecimum diem, sic desinit; interdum perspiratio copiosa, diarrhœa, epistaxis, necnon mensium, aut a venis hæmorrhoidalibus sanguinis profluvium, urinæ fluxus sedimentum deponentis, erysipelas vel phlegmones corporis in quadam parte, crisin indicant; sed expectoratio copiosa naturalis maxime optabilis est.

DE SUPPURATIONE.

Quando permanet morbus ultra diem decimum, suppuratio plerumque obvenit; ejus aditum suspicamur, ubi spirandi difficultas augetur, spiritus eodem tempore supprimitur, pondus sentitur ubi antea dolor erat, æger potest recumbere latere affecto facilius, pulsus mollior et plenior est, obveniunt rigores et febris hectica, cum puris expectoratione, et interdum nobis est, facultas in thorace fluctuationem percipiendi.

DE EFFUSIONE.

His exemplis ubi effusio occurrit, sanguinis, seri vel laticis muco purulenti, aliis infelix in præcipiti versatur, omnibus asphyxiæ symptomatibus, aliisque anasarca pulmonum, aut hydrothorax, accidunt; et tandem, sed tardius, fato fungitur. A Culleno dictum est: "The pneumonic, like other inflammations, may terminate by resolution, suppuration, or gangrene, but it has also a termination peculiar to itself, as has been hinted above (p.259), and that is, when it is attended with an effusion of blood into the cellular texture of the lungs, which soon interrupting the circulation of the blood through the viscus, produces a fatal suffocation. This, indeed, seems to be the most common termination of pneumonic inflammation which ends fatally; for, upon the dissection of almost every person dead of the disease, it has appeared that such an effusion has happened." Gangræna perraro accidit: sed si ad hunc finem tendit, dignoscitur, dolore subito quiescente, vultu pallido et collapso, pulsu parvo et intermittente,

anima male olente, extremis frigidis, singultu, delirio, quæ omnia morbo finem brevi impositura sunt.

SECTIO CADAVERIS.

Cavitate thoracis aperta, uno exemplo inveniemus, bronchias muco, sero vel sanguine effuso oneratas; alio sanguinis vel lymphæ in eorum substantia, effusiones inveniuntur, quod eos subsidere efficit, quum in aquam immerguntur; et aliquando in substantiam jecinoris haud dissimilem, convertuntur; tertioque pus invenimus, quod a pure scrophuloso in una specie Phthiseos, aliquanto differt.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Quicunque robusto corpore, et temperamento sanguineo, præditi sunt, atque Bacchum colunt, præ aliis huic morbo obnoxii evadunt; etiamque variabile cœlum et anni tempestates ei præcipue prædisponunt; quamobrem viri præ fœ-

minis implicantur; denique thoracis mala formatio, sanguinis congestionem in pulmonibus favens, huic inflammationi prædisponit.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

EXCITATIO magna pulmonum, vel in loquendo clare, aut canendo, injuria pectori illata, vapores acres qui pulmones magnopere stimulant; hæ omnes, sed præsertim frigus cum humiditate junctum, et corpori calefacto applicatum, ut causæ excitantes fortiter agunt.

DE CAUSA PROXIMA.

MINIME dubito quin causa proxima sit determinatio sanguinis, et inflammatio cum obstructione extremitatum arteriæ pulmonalis, aut bronchialis, aut utriusque simul.

DIAGNOSIS.

Pneumonia ab inflammatione hepatis distinguitur, symptomatibus sequentibus : in hepatitide dolor minus acutus est, et in hypochondrio dextro præcipuam sedem habet, et frequenter ad summum humeri et claviculam tendit ; Pneumoniæ dolor præcipue thoracis regione instat, etiamque in hepatitide æger fere plus minusve, vomitu et singultu afficitur, nec illi interdum abest, flavedo cutis et oculorum, cum difficultate in latus sanum vel sinistrum jacendi ; denique, fæces subalbidæ aliis cum symptomatibus icteri, hunc morbum a Pneumonia facile dignoscunt. Pleurodyne est morbus muscularis, quo inexpertus medicus potest falli; sed cognoscitur dolore,pressura aucta, motu, et tussis vel sputi absentia. Catarrhus, fluxu narium et faucium, et epiphora advenit, sed si membranæ mucosæ tracheæ et bronchiarum inflammationem inferat, cum tusse et pectoris dolore, in Pneumoniam non raro desinit.

PROGNOSIS.

In prognosin faciendo omnia symptomata juncta consulere oportet: si Pyrexia maxime æstuat, et respiratio difficillima est, ut æger non spiritum trahat, nisi corpore erecto; si livescit vultus, et capitis et cervicis vasa turgent; si tussis sicca et perpetua est, cum sudoribus frigidis sparsim erumpentibus, et pulsu exili et intermittente, vel extremis gelidis, vel delirio, hæc pro indiciis magni periculi sumenda sunt. Sed si diminuuntur tussis atque pectoris dolor, cum spirandi difficultate; si febris mitior est, cum diaphoresi universa, pulsu tardiore et pleniore, sputorum subflavidorum expectoratione prompta, judicare licet, ægrotum non periclitare; nonnullis in exemplis videmus epistaxin vel diarrhœam mitem, vel urinam sedimentum lateritium deponentem, aut erythematem quadam parte corporis suffusam, aut hæmorrhoides, quarum quibusvis ægro plerumque subsidium fertur.

RATIO MEDENDI.

Depletio sanguinis ab vulnere magno, et nonnunquam iterum interumve repetita, exemplis gravibus requisita est; sed in casibus mitioribus, et non raro ægrotis senilibus, vel iis quorum habitus fracti sunt, oportet ex parte dolentibus partibus quam proxima, sanguinem, simul atque iterum, cucurbitula vel hirudinibus detrahere. Amissione sanguinis in Pneumonia fit, ut vasa pulmonaria et bronchialia extemplo exhauriantur, ex quo effectus est, ut pulmonum inflammatio diminuatur, et sanguinis per eos transitus expediatur, illic mutationem peculiarem subeuntis. Vesicatoria et sinapismata proximum locum depletione proculdubio sanguinis tenent, et maximum beneficium conferunt, cum exinanitionem producendo, tum irritationem excitando; quare, post primam vel secundam venæsectionem, applicetur emplastrum meloës vesicatorii amplum, nam plurimum ad morbum resolvendum confert.

Diaphoretica.—Hujus speciei remedia, quoniam primo stadio morbi multum inflammationis inest, sunt caute utenda; sed ubi libere depletum fuit corpus, perspirationem moderatam producere exoptandum est; ea enim calorem cutis allevat, cephalalgiam amovet, sitim domitat, pulsum temperat, et omnia symptomata miro modo sæpe mulcet; hoc consilio, hæc diaphoretica elegimus, quæ morbo melius conveniunt: optima sunt illa, quæ nullum stimulum in systemate producent; ut haustus neutrales ex carbonate sodæ et acido citrico formati, vel doses aquæ acetatis ammoniæ, vel vini tartritis antimonii, ullo proprio vehiculo commistæ. Multum beneficii e pediluvio recipitur, namque hoc remedio sanguis deorsum derivatur, et pulmones faustissime exonerantur.

Diluentia quoque hoc morbo utilissima sunt, et decoctum hordei aut lini acido vegetabili imbutum, vel gummi Arabici mucilago, præcipue in usu sunt; causa expectorationem excitandi, quæ secundum naturam crisis hujus morbi est; ægrotus vaporem aquæ tepidæ aceto mistæ inhalet, et

quando inflammatio topica et diathesis phlogistica minuuntur, usus syrupi scillæ mucilagine juncti a multis maxime laudatur.

Purgantia exhibenda sunt, et in primo adventu morbi, eorum effectus sunt saluberrimi ; actionem intestinorum incitant, et plethoram et ob excitationem vasorum sanguineorum diminuendam laudantur ; et omnia quæ nominantur Refrigerantia maximum subsidium præbent ; prout res poscat, alvus cietur submuriate hydrargyri et extracto colocynthidis composito, vel simili ; sed reminiscere, in omnibus exemplis catharticis temperate uti, ne finem multo optimam, scilicet expectorationem, cohibeamus.

Digitalis non raro utilis est ut adjumentum, ubi inflammatio et diathesis phlogistica partim manent post venæsectionem et alia remedia ; ejus actio est potissimum digna notatu, namque pulsus cordis et arteriarum miro modo minuit, et varias excretiones auget. Doctor Ferriar, ita scripsit : " From what has been said of the sedative power of digitalis, it may be expected to

prove highly useful in many cases of active inflammation, particularly in pleurisy and peripneumony, after bleeding has been practised, as far as the patient's strength will permit. We have long wanted a remedy, capable of lowering the pulse, in certain states of these disorders, without increasing evacuation to a dangerous degree. It would, indeed, be extremely rash to decide at present on the various indications which may arise for the exhibition of this remedy, from the general principle of suspending increased action."

Usus opii non commodus est, primo impetu ullius speciei Pneumoniæ; sed quando depletio sanguinis et vesicatoria prius adhibeantur, interdum cum beneficio datumest; tamen optimum eo caute uti, quia multis in exemplis expectorationem cohibuit; sed uno statu, expectorantibus junctum præsertim utile est, nempe ubi tussis vexans dolorem auget et ægrotum e somno excitat; simul atque omnia symptomata subacta sunt, et æger e morbo recreatur, nos oportet rationibus eum suadere, præsertim necesse esse, omnes eas causas se evitare, quæ adjuvent morbi reditum; multum

frigoris præcipue periculosum esse, et illum decere vestibus laneis indui, et non idoneum esse, multa exercitatione uti, vel convivia facere, donec ad sanitatem revocatus sit.

FINIS.